

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0358

0356

0362

0352

0367

0347

0407

0307

0457

0257

0857

345

ventorum impetus et alias horridas aeris impressiones et corruptiones tribuit inobedientiae malum, hinc pestilentiae, fames, infirmitates et indicibiles miseriae; insuper ferarum, serpentum aviumque aculeos atque rabiem milleque rerum pericula attulit. Unde suspiria lachrimaeque, noctes querulosae et dies laboriosae, horae taediosae, et cuncta hominis tempora anxio timore sunt respersa. Haec et similia in hoc agro materiam copiosam ministrant contemplandi.

Igitur contemplatione finita curiosius locum et terram perspeximus. Est enim terra superius satis grossa et fusca, sed fodiendo apparet rubra, argillosa, flexibilis, de qua figmenta optime fieri possunt. De hac ergo terra sumsimus limum et lapillos pro reliquiis. Dicitur autem, quod, quicumque de illa terra secum aliquid habet, per viam eundo non fatigatur; si bestiae insidet, ipsa non offendit, nec cadit; si vero homo vel bestia cadit, non laeditur casu sed incolumis resurgit. An autem hoc verum sit, probet qui vult, ego oculum non habui ad considerandum hoc, sed nec fatigam nec casum passus sum.

De spineto sive condensis arbustis, in quibus Abel occisus est a fratre suo Cain.

Consequenter processimus in ipso agro extra terram laboratam aratro et in condensa arbusta et spinosa virgulta venimus, in quibus locus ostenditur, ubi Cain consurrexit adversus fratrem suum Abel eumque interfecit, ut habetur Genes. IV. In illo loco procidimus et terram deosculati sumus, quae aperuit os suum et suscepit sanctum sanguinem de manu fratricidae. Sanctum enim et justum Abel fuisse patet in veteri Testamento Genes. IV. et in novo Testamento Matthaei XXIII. Compatiebamur in loco hoc non solum interfecto Abel, sed et venerandis ac devotis senibus, Adae et Evae fratrum parentibus, qui casum audientes ad locum accurrerunt. O quas mentes eis fuisse suspicor cernentibus, ex duobus filiis alterum alterius nequitia mactatum, cadaver exanime, immobile corpus tabido respersum cruore et insensibile? Quas lacrimas, quos dolores, quos horrores et pavores! prius

Ende

Anfang